

7
JOHANNIS LANCELOTTE

JURISCONSULTI NEAPOLITANI

EPISTOLÆ TRES.


I. De Incendio Vesuvii. II. De Stabiis;
III. De Petitione Magistratum.



Editio altera adnotationibus aucta.

Neapoli Anno 1784.

Superiorum permisso.



ANTONIO ERYTHRÆO
JCTO

Johannes Lancelottus
S. D.

QUæ nuper Neapoli Vesuvius portenta edidit, quæque ipse vidi, & audivi, Tibi, quem admiror, & diligo, Vir clarissime, ut scriberem petenti, negare non potui. Hic XIV. ante Kal. Nov. factum est, ut hora vigesima prima illius diei horridus e Monte audiretur fragor, & elata nubes spectantibus indicat exarsisse Vesuvium. Teterrima nox advenit. Ignis, & flammæ ad formam Pini in summo vertice, & in-

A 2

cen-

4
cendiarii bituminis flumina pluribus
in Montis locis patuere cunctis. Ac-
cessit aeris perciti, & ventorum ab
illis cavernis eruentium ea vis, ut
crebris tremoribus hic tecta, & tem-
pla nutarent; & fragor hujusmodi
erupit e Monte; ut neque crebrior,
neque major unquam in hisce mi-
raculis fuerit auditus. Rex ab
Herculanei Villa, ut ex injecto
periculo se eriperet, Neapolim
properat; & nocte media cum ejus
comitatu in hanc Regiam sedem se
recepit. Exterriti incolæ, hospi-
tesque non Herculanei modo, sed &
Retinæ, aliorumque locorum, quæ
Monti subjacent, in fugam sese ver-
tunt: plerique hic, Regis exemplo,
confidunt. Postera die eadem vis
ignis, & crassa caligo descendens
in terras, maria operit, & Sur-
rentum, Capreas, Prochyta, Py-
thecusas, Misenumque abscondit.
Sol interim luridus, & qualis, cum de-

deficit, intuentibus se offert. Nunciatum est, Villas, quæ *Novella* dicebantur, quæ occidentem, & alias, quæ meridianum solem spectabant, arsisse, vel cinere, arena, pumice, & ambustis igne lapidibus fuisse oppletas. Nox altera successit, & claritas tenebris excitata, latissimas monstrat flammæ, altaque Montis ostentat incendia. Hic perseverat ædium tremor, fragorque Montis; metusque omnium animis incubat. Tertia die elata populi manus ad Deum; Vesuvius tantisper quievit; & vulgus omne a se depulsum periculum jactat. Quarta vero die hora XIII. rursus in Monte fragor, rursus caligo, & flammæ fulguribus similes cum arenarum nimbis attolluntur; & e faucibus Montis rursus incendiarii bituminis flumina decurrunt. Obscuratur meridie lux solis, finitimasque circum regiones tenebræ

quoquo versus diffunduntur . Non modo tremore , ut antea , sed & arena , quæ crebra , & crassa incidit , omnia hic testa vexantur (1) . Audisses luctus elocutiones complures , ululatus fœminarum , que-

(1) In solario sacrarum Ædium Divi Dominici Majoris inter arenam tunc projectam inventus est nummus æreus pondere granorum triginta ; cujus pars antica , apparet pene abrasa igne ; pars vero postica retinet V , simile illi , quod Clariss. Mazochius adnotavit in marmore Campano . Vide adnotationes ad Vossii Etym. in voce *Vesuvius* . Hic nummus hodie extat penes virum , præstantem virtutis & sapientie gloria , Fr. Lavazolium , ejusd. Dominicanæ familiaris Magistrum ; & V illud videtur indicare nomen *Veseris* , oppidi perantiqui sub radicibus Vesuvii : cujus *Veseris* meminit Cluverius in Italia antiqua , & Peregrinus in Campania . At enim , Justiniano Imperante , percussi alii afferuntur nummi , quorum pars postica simile habet V . Vide Vaillant , qui non litteram , sed numerum interpretatur .

querimonias infantium, clamores
 virorum. Populus perterritus, dimis-
 sus, & supplex rogat, ut Divi
 Januarii statua, qua caput conti-
 netur illius, efferatur. Decreta ab
 Archiepiscopo supplicatio est. Ef-
 fertur ad Pontem usque Divi statua:
 & vulgus attonitum ingenti agmi-
 ne euntes, pacemque exposcentes
 premit, & impellit. Paucis ibi ef-
 fusis precibus, & plurimis emissis
 lacrymis, præsentia Numinis, cu-
 jus propitia pax semper Neapoli-
 tanæ Civitati præsto fuit, reluxit
 dies, & ignis illico in Monte sub-
 stitit hora fere vigesima secun-
 da (1). Refulsit etiam Sol, & ca-

A 4 li

(1) Hodie in ipso ponte signum e
 marmore Divo Januario positum indicat
 locum, & inscriptio testatur prodigium:
 cujus fit quoque mentio in Calendario
 Neapolitano die xxii. mensis Octobris.
 Hæc sunt inscriptionis verba: *Divo Ja-*
nuar

8

ligo illa renuata in fumum nebulamque decessit. Ita periculum, quod appropinquavit, conspicuum, omnino evanuit; & relictis animis, gratiæ publice, & privatim Deo, & Divo Januario habitæ, & actæ. Vale.

Dat. Neap. IX. ant. Kal. Nov.
Anno Sal. MDCCLXVII.

SAL.

*Januario Principi Neapolitanorum Patrono Ex
Civium religione signum cum ornamentis,
Quod Montis Vesuvii ignem longe lateque
se effundentem Hic e Sacrae Capitis regione
X. Kal. Novembris MDCCLXVII. statim
extinguit Atque Univerfos exhilaraverit.*

9

**SALVATORI PIGNATELLO
PRINCIPI STRONGOLIS**

Johannes Lancelottus
S. D.

CUM III. ante Kal. Junii
Stabias venissem, animumq.
ad vetera illarum monumen-
ta advertissem, amore no-
stro, Vir Amplissime, non es arbi-
tratus alienum, ut de Stabiis ea
Tibi perscriberem, quæ novi ali-
quid habere visa sunt. Stabiarum urbs
Italico bello a L. Sylla deleta (1),
Gr. Pompejo, & Porcio Catone
Consulibus, anno ante Christum
natum 89., postquam in vicos abiit,
ipsa suis ruinis excitata, caput non
multos post annos extulit: de-
inde a Carolo II. Andegavensi Re-
ge ornata Villa, quam Robertus
amplificavit, & arce munita no-
men

(1) Plinius Hist. Nat. lib. 3. cap. 5.

men, quod nunc frequentius obtinet, Castellum Stabiensis ad mare accepit. Nam & in ambitu ejusdem, & extra monumenta sunt adhuc, quæ ibidem veterem urbem floruisse testantur. Apparent Amphitheatri reliquiae (1). Remanent Gymnasii indicia, quæ Portius Architectus (2) indagavit. Patent Fanorum, & Delubrorum nonnulla vestigia (3). Tempore, quo Julius Cæsar Capacius Neapolitanam

(1) Inspiciuntur in Vico, qui dicitur *Varano*.

(2) In Regione, quæ appellatur *Osteris del Lapillo*. Descriptionem Neap. domi suæ servabat ad privatum usum Michael Portius.

(3) Nempe ara Dianæ in Regione, quæ dicitur *Fano* ante Ecclesiam Deiparæ a Puteo dicatam, pavimenti pars taxillata, ea columnarum & lateritii operis fragmenta in *Fajano*, ubi tubos plúmbeos cum inscriptione P. Sabidi Pollionis Præfecti urbis indagavit Episcopus Stabiensis Thomas Milante in Crypta S. Blasii.

FI

nam historiam edebat, lapis extrabat cum notis græcè inscriptis, quæ suburbia, portumque a Senatoribus Stabiensibus per *Diphilum tardum Architectum* constructa significabant. Inscriptio nunc & græce, & latine legitur (1) apud Capaciam sine ulla temporis designatione, inter illas rejecta inscriptiones, quæ Œdipo interprete indigere putantur. At Diphili tardi Architecti mentionem facit Cicero in Epistola prima lib. tertii ad Quintum Fratrem his verbis: *In Maniliano offendi Diphilum Diphilo tardiolem: & paulo post subjicit Columnas neque testas, neque e regione Diphilus collocarat, eas scilicet de-*
mo-

(1) In appendice T. 1. hist. Neap. pag. 900. Inscriptio ita legitur: *Suburbia, portumque ad civium, & navitarum commoditatem, Senatores Stabienses construi curarunt. Diphilus, quamvis tardus Architectus, ad jussum tamen celer, quinquennio absolvit.*

molietur. Aliquando perpendiculo, & linea discet uti. Hinc facile colligi potest, quam ætate opus Stabiense a Diphilo fuerit perfectum. Ipsum autem M. Tullium Ciceronem Italici belli tempore apud Lucium Syllam in Castris Nolæ fuisse ex ipso Cicerone colligitur. De divinat. lib. 1. c. 33. & lib. 2. cap. 30. Cum alterius vero portus, quam ipse, qui nunc existit, nullum adsit vestigium, non alibi existimari oportet, quam ibi, ubi nunc est, veterum Stabiarum portum fuisse positum, Stabias vero non multos annos post illarum everisionem esse restitutas, fontes ipsi declarant, qui adhuc ibi emicant. *Fontibus & Stabiæ celebres, & Vesvia rura* inquit Columella (1), qui vixit ad annum 58. post Christum natum. Exsiliunt nunc quoque in Oppido passim, & in

(1) Lib. X. v. 133.

13

& in Agrò Strabiano, qui Sar-
 no alluitur, aquæ gelidæ, &
 dulces, perquam salubres ad pos-
 tum hominum, ad haustum pecu-
 dum, ad ductum arborum aptissi-
 mæ. In suburbio vero, & ab Op-
 pido non longe ad saxosas mon-
 tium radices plures, tenui discer-
 nente intervallo, erumpunt fontes,
 qui, natura opifice, ad levandos
 morbos auxilia conferunt. Aquæ
 est rubri coloris, ac ferruginæ sa-
 poris (1), quæ purgat corpora,
 medetur jecori, & lieni, sanat ul-
 cera, & oculis prodest. Altera est
 cum acida falsave mixtura, quæ
 acidula media vocatur, & calculo-
 sis medetur. Tertia ampem facit,
 & quia salis armoniaci, & sulphu-
 rei roris non parum & resipit, &
 redolet, licet amicum capiti, vul-
 go *fætida* dicitur. Habet enim plu-
 res

(1) Vulgo dicitur *acqua rossa*, seu *acqua ferrata*.

res commixtos sales, & saluberrimi potus censetur: iis, qui jecoris, & lienis morbis, & arthritide laborant, cujus aquæ potus a Cavale-rio Medico mensibus Julii, & Augusti maxime commendabatur. Quar-
ta est sulphurata cæteris simplicior, (1) utilis pectori, atque pulmomi, quæ renum vitia, & cutis morbos discutit. Ex eadem, qui herpeta patiuntur, bibunt, & calefacta lavant. Quinta denique est bituminata (2), albi coloris, quæ scabiem expellit. Neque fontes modo, sed & ipse Stabias circumfusus aer, docet ibidem, ubi novæ sunt Stabiæ, veteres claruisse. Ori-
tur enim ex respiratione aquarum, & earum quasi vapor quidam, aer habetur, motuque caloris, qui aquis continetur, existit (3). Quinam-
fue-

(1) Scatet in pomario Domini Leonardi.

(2) Fluit in littore juxta templum Dei-
paræ a Puteo.

(3) Cic. de Nat. Deor. c. 10. l. 2.

fuerit Stabianus ær Galeni ætate, ipse ostendit Galenus, qui floruit sub Marco, Commodo, & Trajano Impp. usque ad Antoninum Pium, sive ad annum post Christum centesimum tertium, & quadragesimum. Animadvertit ille (1) aquas juxta oppidum Stabiarum, salubres omnes, neque paludem, neque lacum, neque stagnum esse ullum, ventosque omnes, qui ab Arcto ad æstivum occasum perflant, repelli a Vesuvio monte, qui objicitur oppido, fervidasque Vesuvii naturas tum combustas, tum quæ comburuntur, ærem circumfundere, siccum, & salutarem. Nunc vero cum nulla palus, nullumque stagnum prope extet, objectusque, salutari ratione, Vesuvius ardeat, recte concludi posse videtur, si circumfusus ær extat

(1) Galen. de Method. medend. lib. 5. lib. 12.

tat idem, si e regione Vesuvii stat
 oppidum, ejusdem bonitatis aerem;
 eodemque in loco oppidum esse, quo
 tempore stabat Galeni. Neque id
 aliter existimandum est, cum ipse
 Galenus subjiciat: *Oppidum ipsum
 Stabia ad mare in intimo maxime
 sinu situm est inter Surrentum, &
 Neapolim, magis tamen in latere
 Surrentino, quales hodie novas vā
 demus Stabias. Fontium denique
 perennitati, aerisque salubritati vis
 accedit præstantissima lactis Stabia-
 ni. Impendent oppido montes ca-
 staneis, aliisque arboribus vestiti,
 adherent colles vitibus, oleisque
 confiti, adjacent, Sarno alluente,
 campi, quos mare appetens, lit-
 toribus cludit, opimi, & fertiles,
 quorum neque ad usum meliores,
 neque ad speciem alii collucent
 ornatiores. Quid mirum? Si in hac
 Regione terra gravidata feminibus
 omnia maxima cum largitate pa-
 riat,*

riat, & fundat, stirpesque omnes
 alat, & augeat. Res autem, qui-
 bus animantium vita continetur,
 cibus, potio, spiritus, a natura
 solertissime, ibi extant comparatæ,
 quæ sint maxime salutares. Perci-
 piuntur adhuc Stabiis ex aquis, &
 armentali lacte remedia morbis, &
 vulneribus, quæ Galenus (1), Sym-
 macus (2), Cassiodorus (3) mirifice
 commendarunt. Aqua igitur, aer,
 & terra his auctoribus declarant
 ubi naturæ maxima inveniuntur
 munera, ibidem novas Stabias fuis-
 se conditas, atque extructas. At-
 que hæc de urbe dixisse, fit satis.
 Reliquum est, ut de Civitate, quæ
 legibus, & Incolis constat, verba
 faciamus. Veteres quidem Stabien-
 ses, antequam perfidiæ pœnas lue-
 rent, suis vixisse legibus, postea
 vero Præfectis, qui ab urbe Ro-
 ma

B

ma

(1) Method. medend. lib. 5. c. 12.

(2) Lib. 6. Epist. 18.

(3) Lib. XI. variar.

ma mittebantur, obtemperasse, oppidum ipsum in Agro Campano positum declarat, quod ex Floro, Appiano, Paterculo, aliisque colligitur. Accedunt eo reperiæ in solo Stabiano inscriptiones, quæ ibi P. Sabidium Pollionem Præfectum urbis imperasse indicant. Tuboæneo, quem servavit Episcopus Stabiensis Thomas Milante, supereminet signa *P. Sabidi Pollionis Præfecti Urb.*, cujus nomen in fastis Præfectorum Urbis Romæ minime reperiri ipse testatur Episcopus (1). Neque obstat, quod modo retulimus, suburbia, portumque a Senatoribus Stabienfibus esse constructa. Præfecturarum enim quædam in Italia erant Republicæ, neque tamen Magistratus habebant suos (2). Veterses igitur Stabienfes non legibus

(1) Dissert. 1. de Stabiis pag. 11.

(2) Sigon. de antiq. Jur. Ital. lib. 2. cap. 10. & Fest.

bas perpetuis, quæ à Pop. Rom. datae essent, regebantur, sed arbitrariis, sive edictis, quæ Praefectus Romanus ad eos juri dicundo quotannis missus imposuisset.

Italico vero bello confecto L. Julius Cæsar Censor legem de Civitate Sociorum tulit: qua lege discrimina juris Quiritium, juris Latii, Municipiorum, Coloniarum, & Praefecturarum ex Italia universa cesserunt. Nam Civitas Romana Latinis populis primo, deinceps Italis patuit universis (1). Quæ communicatio juris summo viro (2) potissima visa est causa inclinationis rerum Romanarum. Recentiores autem Stabienses, e Villis in novam Urbem coactos non aliis, quam Romanis legibus paruisse constat.

B. 2

Quæ

(1) Sigon. de antiq. Jus. Ital. lib. 3. c. 1.

(2) Authori operis *Grandeur, & Décadence des Romains*, Chap. 9.

no.

Quæ de Diphilo, quæque de Sa-
bidio, a me primum comperta,
exposui, nova visa sunt omnia.
Hæc ut ederem, autor mihi fuisti;
Vale.

Dat. Neap. Idib. Aug. an. sal.
MDCCLXX.

AN.

28
ANTONIO GÜRTLERIO

Episcopo, & a Confessionibus
Reginæ Utriusque Siciliae.

Johannes Lancelottus
S. D.

DE Cenforibus in Caufidi-
cos instituendis, cum he-
sterna die in Regali Ca-
mera S. Claræ verba fa-
cta essent, ea, quæ de Petitione
Magistratum mihi venerunt
in mentem, ad tuum conferre ju-
diciam, Vir sapientissime, statui.
Qui hodie Magistratus, vel hono-
res appetunt, jactant eos, qui o-
pibus, & pecunia maxime florent,
esse a Rege præferendos. At no-
visti, fortunam multis dedisse ni-
mis, satis nemini. Rempublicam
olim a Sapientibus esse administran-
dam. Veteres docebant. Rectius

B 3

ve

vero hodie ab homine Christiano,
 & Jurisperito Magistratus, & hono-
 res esse capiendos constat: quia
 sapiens, & bonus nemo, nisi Chri-
 stianus, videtur. Quid ab homine
 pecunioso expectes, qui semper fi-
 tit, & appetit opes? Ardua pro-
 fecto res est, mores opibus non
 tradere, & qui Crasum forte vice-
 rit, eundem Numam esse. Sola Chri-
 stiana Religio, & pietas effingere po-
 test constantem illam, & perpetuam
 voluntatem juris cuique tribuen-
 di sui. Immo ab honoribus & Ma-
 gistratibus arcendi videntur, qui
 opibus, & pecunia plurimum pos-
 sunt: contra vero alliciendi inviti,
 qui juris scientiam callent, & Chri-
 stianis moribus imbuti, christianique
 vivunt. Haec Religio longe super
 omnium Philosophorum placita emi-
 net. Ab hac sententia non abhor-
 rere tuam certo scio. Censura mo-
 dum ad Magni Ludovici exem-
 plum

plum composita, optimum sane mihi videretur consilium ad hoc Causidicorum ævum emendandum (1). Quæ Censorum ratio, & quæ Patrum sententia fuerit, me later. Vide autem, Vir sapientissime, ut humanissimus Rex, sua pacate possidens, noscat suos, &, qui Christianæ Religioni student, foveantur. Vale.

Dat. Neap. III. ante Kal. Jan. MDCCLXXIX.

B 4

(1) Si quis velit intelligere, quam sit opus emendatione, perlegat is oportet, quæ anno 1743. de Vitiolis agendarum causarum modis edidit Joseph Aurelius de Januario Judex tunc M. C.; & quæ nuper Neapoli an. 1780. typis Christophori Ellæ mandavit pro Dominicana Familia Montismurri Vincentius Ambrosius Galdius, Vir inter Juris peri-

EMINENTISS. SIGNORE.

IL Dot. Gio: Lancilotti con diverse suppliche espone a V. E., che ha composto un piccolo libretto con alcune annotazioni, il qual' è intitolato: *Johannis Lancelotti J&N Neapolitani Epistolæ tres I. de Incendio Vesuvii. II. de Stabiis. III. de petitione Magistratum.* E perchè intende legittimamente pubblicarlo; perciò ricorre, e supplica V. Em. a commetterne la revisione a fine di ottenerne il permesso; e l'avrà a grazia, quam Deus &c.

Admodum Rev. Dominus D. Andreas Simioli S.Th. Professor revideat, & in scriptis referat. Die 9. Augusti 1784.

JOSEPH ROSSI CAN. DEP.

EMIN. AC REV. PRÆSUL:

CLarissimi Jcti Jo: Lancelotti Epi-
stolas tres *de Incendio Vesuvii,*
de Stabiis, de Petitione Magistra-
tuum, ut jussa tua facerem, sedu-
lo ac lubenter perlegi: in iis styli
varietatem & venustatem sum de-
miratus: quæ de interpretatione
nummi aerei, quæque de Diphilo
& Sabidio ab ipso primum comper-
ta exponit, nova visa sunt omnia:
hortari opus esset Auctorem, ut quæ
hujus generis non pauca in pluteo
delitescere finit, Reipublicæ Litte-
rariæ bono, in lucem edat quam-
primum: Nihil inde cum timeat
Fides, vel morum integritas, typis
committi posse censeo, si tibi arri-
serit. Dabam Neapoli Nonis Sex-
tilibus an. 1784.

Umbilicus in D. 1784.

*Attenta relatione Domini Revisoris,
imprimatur. Die 15. Septembris
1784.*

JOSEPH ROSSI CAN. DEP.

S. R. M.

SIGNORE.

Il **Dor. Giovanni Lancillotti** pro-
strato a' vostri Reali Piedi,
umil, e supplichevole alla M. V.
rappresenta, che ha composto un
picciolo libro, col titolo: *Johannis
Lancelotti Jcti Neapoletani epistolæ
tres I. de Incendio Vesuvii, II. de
Stabiis, III. de petitione Magistra-
tuum*. E perchè intende di pub-
blicarlo per mezzo delle stampe a
tenor delle vostre Sovrane ordi-
nanze; perciò ricorre alla M. V.
e la supplica degnarsi di commet-
terne la revisione, a fine di ripor-
tarne la licenza; e l'avrà a grazia

*U. J. D. D. Franciscus Confortius in
hac Regia Studiorum Universitate
Professor Primarius revideat Au-
tographum enunciati Operis, cui
se subscribat, ad finem revidendi
ante publicationem, num exempla-
ria imprimenda concordent ad for-
mam Regalium Ordinum; & in
scriptis referat. Datum Neap. die
3. Mensis Augusti 1784.*

J. A. TARSENSIS C. M.

JOannes Lancilotti, vir eruditus, &
antiquis moribus præditus po-
testatem exoptat edendi libelli, qui
tres epistolas eleganti sermone con-
scriptas complectitur. Quia vero nec
in Majestatis Tuz jura incurrit,
nec Religioni vel minimam fraudem
facit, ex sententiâ ei rescribendum
conseo.

Devotissimus Client
Jo: Franciscus Confortius.

Die 6. Mensis Septembris 1784.

Viso Rescripto suæ Regalis Majestatis sub die 21. elapsi mensis Augusti currentis anni ac relatione U. J. D. D. Francisci Conforti, de Commissione Reverendi Regis Cappellani Majoris, ordine præfate Regalis Majestatis. Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Revisoris; Verum non publicetur nisi per ipsum Revisorem facta iterum revisione affirmetur, quod concordat servata forma Regalium ordinum, ac etiam in publicatione servetur Regia Pragmatica: hoc suum.

Salomonius Patritius Avena Caravita Targiani

Vidit Riscus R C

**Illustris Marchio Citus Præf. S.R.C.,
& cæteri Ill. Aulæ Præf. tempo-
re subscriptionis impediti.**

Reg.

CARULLI

ATHANASIUS.

1609805